

nostro ævo ὁμοιότελευτα requirit; sed quem nobis Svidas & Beda descripserunt. Est rythmus, uti Beda ex aliorum scriptis colligit, metris consimilis, verborum modulata compositio, non metrica ratione, sed numero syllabarum ad iudicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgariū poetarum. Et quidem rythmus sine metro esse potest, metrum vero sine rythmo esse non potest. Rursus Beda ex Lib. I. Marii Victorini cap. de Rythmo: Metrum est ratio cum modulatione: rythmus modulatio sine ratione. Plerumque tamen casu quodam invenies etiam rationem in rythmo, non artificii moderatione servatam, sed sono & ipsa modulatione ducente, quem vulgares poetæ necesse est, faciant rustice, docti faciant docte. Svidas antiquorum rythmum ita descripsit Tom. III. p. 269. Ἐστὶ τὰ ξίς ἔμμελθ ἀκολόθθ ἀρμονίας μέλθ ἔυφανον. Πάλη μέρτεθ ρυθμὸς. Deinde addit: Ille vero tibicinas barbaricum aliquem rythmum sibi canere iubet. Unde colligimus, rythmum esse melodiam, secundum quam carmina lecta vel cantata sunt, quibusdam syllabis tarde, aliis breviter pronuntiatis, licet sua tales non sint natura. Duo itaque in carmine erunt observanda: 1) rythmus, vel ordo harmoniæ concinnus. 2) metrum i. e. rationes pedum. Sed in lingua Hebræa omnes syllabæ sunt æquales, quæ in nulla metra coeunt, quod Grammatici demonstrant clarissime: ideo in carminum recitatione tantum rythmus est observatus, qui quasdam syllabas tarde, alias breviter pronuntiat. Et hunc rythmum respexisse videntur Philo Judæus Opp. p. 178. Josephus *Antiqv. Lib. 7. c. 12.* Eusebius *Præp. Evang. Lib. 2. c. 3.* & Hieronymus in *Epist. ad Paulinum*, aliique, qui in Psalterio, Jobo, Threnis, græcorum metra reperiri dixerunt. Plura de Hebræorum metris docte disseruit Martionay in Hieron. Opp. T. I. Prol. IV. §. 4. qui licet ad metra procedat, imagines tamen dactyli & spondæi tantum asseruit, quam convenientiam multa sæpius impediunt. Tertiò in Carmine Hebraico invenimus stylum poeticum, qualem in aliis quoque Græcorum & Latinorum carminibus observamus. Hæc si ad nostra carmina lugubria refe-

re-